PERILLUSTRI
STRENUO
GENEROSOQUE DOMINO
DOMINO
LIBERO BARONI DE SMACKERS
VICE-CHILIARCHO
EXERCITUUM CÆSAREORUM.

DOMINO
IN MIRWARD, MONTIGNY,
ET EMBTINES &c. &c.

PATRUELI MEO ET PATRONO COLENDISSIMO.

VIR PERQUAM ILLUSTRIS!

A*dvenit tandem exoptata dudum dies, quâ Studiorum meorum primitias,* TUO STRENUO ET PERILLUSTRI NOMINI *conſecrare, Tuisque ſub Auſpiciis exponere & defendere licet; taxandus ſanè forem juſſaque* PATRIS MEI DIGNISSIMI *transgrederer,* VIR STRENUE ET ILLUSTRIS! *ſi hanc unquam quam nactus ſum occaſionem, cæterasque futuras & quaſcumque poſſibiles opportunitates, me Tibi, Tuisque denuo arctius, & titulo & jure Conſanguinitatis, devincendi, me & haſce Tuo Patrocinio ſubjiciendi prætermitterem.*

Modeſtiam animum & characterem Tuum vereor, ne offenſam, ſi Tuam in Tuos Generoſitatem, & Clementiam

etiamſi

etiamſi modeſtè, & cum moderamine enarrem, noſcunt ſubditi qui ſis, nôrunt Arduenni, exterique Tuam Magnanimitatem, Benevolentiam Tuam experiuntur, potiſſimum ii, quibus nec Pater nec res eſt, animum Tuum Herculeum, quo in armis Cæſareis ſemper eminuiſti, generoſa Tua, & præclara martis facta, quæ perpetraſti, depingant alii quêis nitidior & doctior eſt calamus.

Supereſt igitur, VIR PERQUAM ILLUSTRIS! *ne ægrè feras ut tenues haſce Nomine, & Valore Tuo indignas, concluſionum mearum pagellas dedicem, easque in perpetuum, & devotionis, & affectionis monumentum acceptes; ignoſcas precor audaciam & libertatem quâ utor, credasque me ductum inclinatione & affectu quem tribuit, urget, & nutrit Conſanguinitatis vinculum, auſpicium Tuum implorare; rogans, ut hunc laborem meum Benevolentiâ Tuâ protegere, Tuoque Præſidio ulterius, fovere non dedigneris. Qui Tuus ſemper*

Dabam Coloniæ Agrippinæ
hâc 16ta Martii 1790.

obſequioſiſſimus & humillimus
Cultor & Agnatus

F. J. L. DE SMACKERS.